

sive privatim eadem demonstrare voluero: Publice vero per Hyemem (sc. post reditum ex itineribus) Oeconomiae privatam praecipue ruralem docebo, per aetatem materiam oeconomicam ex Regno vegetabili desumptam tractaturus, simulque excursionses Botanicas habiturus. Prof. Ascanius publice Mineralogiam et Docimasticam per Hyemem docebit, aetate vero Zoologiam. Me absente excursionibus botanicis praerit, quas etiam incepit, me tamen praesente. Gramina et cryptogama non curat; nec secundum species determinat, sed plerumque vel solum nomen Genericum vel nomen vetustum aut usuale allegat, vel dicit se nescire nomen. Sequenti mense, volente Deo iter in Hollandiam adgrediar, an vero in Hollandia aut Anglia vel Gallia Hyemem proximam consumam, non pro certo determinare possum, nec quot annos an tres vel quatuor in exteris commorabor. In praesenti hic Havniae fruor 400 Imperialibus Danicis (circiter 600 Riksd.) una cum ligno necessario pro focus et domicilio sc: 6 cameris in arce Regia Charlottenborg dicta, quae in ipsa Metropoli sita, antea fuit Sedes Principum Haereditariorum, sed jam scientiis et artibus dicata est. Quamdiu iter in exteris facio, salarium annuum duplicatum mihi conceditur; adeo ut Deo sit laus! sorte mea sat contentus degam. Ad universitatem Havniensem non proprie pertinemus, sed idem Honos (vulgo Rang) nobis ut Professoribus Regiis a Rege attributus est.

Prof. Ascanius publice dicit, Te multos commisisse errores in Tuo systemate novo; Upsaliamque adire cuperet, eum solum in finem, ut Te convinceret de talibus erroribus, ego vero regessi, quod idem per literas vel scripta publica efficeret, ex quo labore non levem reportaret gloriam. In itinere, quod praeterlapsa aetate feci per Jütlandiam, nil notatu dignum observavi, nec mihi factu facile erat; quoniam nimis festinanter conficiebatur idem iter. Dimidia pars Jütlandiae sc: occidentalis inculta ericetis et campis apricis sterilibus constat, ubi interdum per 4 miliaria nec arbor nec domus conspicitur; Plantae in his ericetis crescentes erant fere solae sequentes: Erica vulgaris, tetralix, Vaccinium uliginosum, Myrtillus, Vitis idaea, Oxycoccus. Arbutus Uva Ursi. Lolium perenne, Festuca ovina, Nardus strictus,